



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

§. 1. De vitiatis sine propria culpa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

supervenit Religioso jam initio, posse item iudicium de eo fieri à Suo Prælati, diximus, *In epist. de Sacrific. Missæ lib. 1. cap. 7. §. 6. in edit. noviss. Venet.*

CAPUT VIII.

De irregularitate ex corporis vitio.

1. Cognata est præcedenti præfens Irregularitas; sæpe enim infirmitas deformitatem seu corporis vitium affert. Differunt nihilominus; Infirmitas enim integritatem membrorum regulariter supponit. Vitium vero dicitur alicujus membri defectum.

2. Sint ergo hæc regulæ duæ. Tunc in homine oritur hæc irregularitas, quando ita pars corporis aliqua ipsi deest, vel reddita est debilis, ut inutilis sit ad ministerium Altaris. Rursus tunc eadem irregularitas oritur, quando ipse ex quocunque simili corporis vitio seu qualitate redditus est notabiliter deformatus. Ratio utriusque regulæ est, quia à Sacrificante, necessario multæ membrorum actiones fieri sine ullo defectu debent, & nihil indecens, vel contemptibile in eo apparere conveniens est. Sed proferamus singula ejusmodi vitia, de quibus multa hæc in decretalibus toto Titulo de corpore vitiatas, nonnulla item in Titulo de clericis agrotantibus & in Decr. dist. 55.

§. I. De corpore vitiatas, abstrahendo à propria culpa.

COE CVS.

1. Carens oculis, vel visu, irregularis nimis certo est, vide *Cntr. dist. 55.*

2. Si autem alicui unus oculus, vel unius oculi usus desit, sic distinguitur; si desit dexter, & notabilis defectus, seu deformitas non appareat, vel per artem sufficienter regatur, irregularis non est. Si desit sinister (quem Vulgus oculum Canonis appellat) adest per aliquos Doctores irregularitas. Sed nimis rigide. Quare merito per alios, si ex quocunque capite, legendo, vel recitando Canonem, non debeat Sacerdos, se cum notabili deformitate convertere ad illum legendum (quam certe deformitatem facillimam erit evitare, irregularitatem ex hoc capite ne pertimescat. *Leg. Nav. sum. c. 27. n. 199. Suar. de cens. d. 5. l. 1. c. 1. §. 1. G. Hort. de in. d. 2. dist. 14. n. 5. l. 1. Præp. in 3. p. 7. §. 5. de irreg. d. 14. n. 113. Leg. item Layman. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 7.*

3. Qui peripliculus indiget, Qui de die solum, non vero noctu videt, Qui maculam habet in oculo, Qui lippitudine, Qui palpebrarum dimissione, inversione, habitu laborat, Qui oculos habet distortos, qui strabo est (italice guercio) non sunt, teste Sayr. *de cens. l. 6. c. 8. a. n. 9. Fill. tr. 9. c. 6. n. 168. Menoch. de arbit. c. 226. sine Avil. de cens. p. 7. d. 3. d. 1. ex se irregulares, nisi forte nimis deformes (quod certe in prædictis defectibus difficile est) spectantibus appareant. Si tamen aliqua sit dubitatio, Episcopi, erit, vel Prælati Regularis, rem decernere, ut in simili dictum est superius.*

4. Si perfecta cæcitas superveniat Ordinato, celebrare sane prohibetur, quia ad sacras actiones peragendas, ineptus omnino est. At, si luscus sit, id est parum videns, sed ejus rationis, ut, nec indecore, nec cum periculo errandi, Sacrificium peragere queat, celebrare poterit, ascito præsertim Sacerdote, qui assistat. Atque huic, si legere non possit, sed memoria Missam aliquam v. g. Defunctorum, vel Sanctissimæ Virginis recitare sciat, illam celebrare posse concedit recte Maranta *p. 4. Resp. 22.* Intelligere, si cætera rite, saltem alio Sacerdote assistente, peragat.

SVRDVS.

5. Vtrique aure omnino surdus irregularis est, quoad Ordines suscipiendos, quia non potest congruenter Ordinis usum exercere, cum non audiat Ministri responsionem. Ita Castrop. *de cens. d. 6. p. 11. n. 3. Suar. Bonac. Pars III.*

Nav. Laym. ap. eundem cum aliis, dicens, id definitum esse à Canone Apostolorum legitimo.

6. Scio Henriq. *l. 14. c. 8. n. 4. Io. Præp. q. 3. de irreg. d. 14. n. 113.* sentire, non esse irregularem, quia non est simpliciter necessarium, ut Sacrificans audiat responsiones Ministri, cum satis sit, si certo moraliter putet, cum respondisse. Sed certe id minus recte dictum est (ut notat. *Suar. de cens. d. 5. l. 1. c. 1. §. 1. n. 13.* cui adde Navar. Bonac. Laym. allat. Castrop. *h. c. & Turr. de cens. l. 9. de 72. d. 4.*) de promovendo ad Ordines, cum tamen dictum sit recte, si ejusmodi defectus superveniat jam promotus, ut in simili de lusco dictum est superius; siquidem in jam promotus facilius toleramus ejusmodi defectus, quam in promovendo, præsertim, si secreto, & sine notabili indecentia celebretur sacrificium.

7. Surdaster, vel, qui una tantum aure audit, non est irregularis, quia sic supponitur, non deficere ab apte celebrando.

8. Carentem utraque aure, in id altera dumtaxat, licet is surdus nequaquam sit, irregularem esse affirmant Nav. *in sum. c. 17. n. 222. Sayr. de cens. l. 6. c. 8. n. 17. Fill. tr. 9. c. 6. n. 169.* alique ex illo principio, quia caret membro corporis. Sed melius negant Conine. *l. c. n. 108. Io. Præp. l. c. n. 113. Diana p. 4. tr. 2. ref. 73.* & alii, quia principium illud non admittitur in universum, membri enim carentia, quando est sine culpa, tunc solum irregularitatem parit, quando deformitatem, vel debilitatem affert.

MUTVS.

Vel defectum patiens in ore.

9. Mutum irregularem esse, quis in controversiam venit. Si enim (testibus DD. citatis) est elinguis, vel facultate caret loquendi, certe Ministeria Ordinis pronuntiare non poterit.

10. Balbus autem, seu Blesus, id est, qui in loquendo, aliquantum præpeditur, Carens dentibus, vel illorum aliquo Male olens ore, non sunt irregulares, ut volunt iidem nisi notabilis adsit deformitas, vel occasio risus, seu contemptus, & c. & in dubio, acerbetur Episcopus, ut suprâ.

11. Qui labium divinum turpiter gerit ad instar leporis, quia ita demissum, ut dentes enormiter appareant, irregularis est. Ita iidem. Verum nota illud; turpiter, enormiter.

MANCVS.

12. Vtrique, vel altera manu mutilus, digitis omnibus vel pollice, & indice, ita carens, vel ita is tremulis, ut hostiam frangere, vel eandem, Calicemve tenere nequeat, multoque magis si hæc patiatur in brachiis, irregularis est. Ita Vgol. *de irreg. c. 48. Fill. tr. 19. c. 6. n. 132.*

13. Cui tamen adfuit digiti sine unguibus, vel digiti plures, vel inter se uniti, & c. Si id, nec ministerio noceat nec deformitatem pariat. Irregularisne sit. Ita iidem.

14. De carente uno, vel altero ex minoribus digitis, videat Episcopus, an deformitatem afferat, & in alterutram partem decernat.

CLAUDVS.

15. Si quis ita sit claudus, ut ad accendendum, vel standum in altari, baculo non indigeat, deformisque, vel indecorus altari non sit, ab irregularitate illum liberant jura. *C. Si qui in infirm. d. 55. C. Null. Epif. de cens. dist. 1. Castrop. de cens. d. 6. p. 11. n. 3.* alique secus condemnant.

16. At vero crure, aut pede mutilus irregularis absque dubitatione est.

17. Sed quid si pede, aut crure ligneo ita sit instructus, ut deformitas nulla, vel certe modica appareat; præsertim vestium oblongarum usque ad talos auxilio?

Respondeo, Sayr. *l. 6. de cens. c. 8. n. 26.* docet hunc esse absolute irregularem. Verum puto cum Ros. Silv. Marol. ap. eund. Sayr. & Glian. *p. Claud.* & aliis perinde ac in carente *n. 7.* diximus, distinguendum esse. Si modicus sit defectus, regique possit, nulla est irregularitas pertimescenda.

K k da

